HONORIUS AUGUSTODUNENSIS

Admont, Ende 12. Jh. Seite 19v

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26208
Copyright: Admont, Benediktinerstift



Nunc ut legentium uel audientium mentibus quidda dulcedinis infundamus aliquid de processione dicamus. In missa quidem agebatur xpi pro nobis in mundum legatio. in processione agitur nostra ad patriam reuersio. Per processionis itaque sollempnitatem imitatur ecclesia populi dei de egypto egredientis iocunditatem. Qui signis et prodigiis liberatus ad montem synai peruenit. ibi accepta lege et facto tabernaculo quasi quadam processione ad terram repromissionis tetendit. Populus namque armatus incedebat. per turmas signa et uexilla anteferebant. Leuite tabernaculum gerebant. sacerdotes tubis clangebant. Archa federis a sacerdotibus portabatur. et aaron summus sacerdos decoratus. et moyses dux populi cum uirga sequebatur. Quibus in uia amalech cum exercitu occurrit. iter armis obstruere uoluit. cum quo ihesus pugnans uictor extitit. populo iter ad patriam aperuit. Qui ihesus normam nobis processionis dedit. quando cum archa omnique populo iericho circuiuit. sacerdotalis ordo tubis cecinit. populus clamore personuit. iericho corruit. et uictor populus regnum obtinuit.

Signi fica tio.

Populus a pharaone per moysen ereptus. est xpianus populus a diabolo per xpm redeptus. Tabule testamenti a monte accipiuntur. et libri euglii ab altari ad portandum sumuntur. Populus abit armatus. et populus xpianus uadit fide et baptismate signatus. Pre turmis illorum signa ferebantur. et ante nos cruces et uexilla portantur. Eos columna ignis precessit. et nos candele lumen precedit.